



Cotia regnum Albionis pars Septentrionalis vocatur: terra perpinguis & Sulphurea, atque ob id combustilis, ac lignorum penuriam subleuans: vnde mos inoleuit, vt mendecantes circa ædes sacras, lapides accipiant in elemosynam, struendo fœco aptos. Lœca nonnulla habet in quibus triticum nõ crescit, massam tamen ex auenæ farina subigunt, Rei pecuariæ perinde vt Angli maximè dedisti, vnde lanificijs ditantur plurimum. Asperior est, minusque quàm Anglia culta montes etiam hinc inde habet, verùm pabulum ferentes præstantissimum. Fertur in regiuncula quadam Scotiæ, quæ Cloid fluuio alluitur, Argadia ei nomen est, lapidem nasci, qui paulò diutius stuppæ subiectus incendium faciat. Regia eius est Edinburgum, A lata castra vocant; prope hanc portus celebris est, Lethe dictus. Archiepiscopales, & gymnasijs celebres ciuitates sunt, S. Andree. Glasque, Aberdora, quæ mercatu etiam ob portus commoditatem, felix est. Habet & alia emporia, & sunt Dunæ, Monros & S. Ianis. Circa Aberdorum montes sunt asperrimi, & equitatu inaccessi, ac iuxta montes sylua, quæ æstimatur Chalcedonia antiquorum esse. Scotos à pictura corporis appellatos esse volunt σκότης enim Græcè tenebras sonat vel σκότης, id est furia, tenebræ. Vetus enim mos illis erat, pectus, brachia & manus encausto figurare euntibus ad bellum (quod tamen hodie non seruatur) vt ebantur autem Glasfo, herba plantagini simili, quæ (vt Cæsar ait) cæruleum efficit colorem, vt horridiores hosti se ingererent in prælio, vnde Martialis cæruleos Britannos dixit.

Claudia cæruleis cum sit Ruffina Britannis Edita.

Mores Scotorum Anglorumque parum differunt, idem ferè habitus, lingua penè eadem, subita ingenia, & in vltionem prona ferociaque; in bello insignes, mitiores tamen aliquando Angli, quamuis enim ferum & in hospitale vulgus ignobile sit, ciuiliior tamen est nobilitas, hospites amicè salutant, magisque obuij ad humanitatis officia sunt. In bello nec agri nec vrbes violantur, sed dimicatur ad internecionem alterius partis vsque Rigidiores Anglis aliquantò sunt Scoti, inuidi natura, & reliquorum, maximè aduenarum, contemptores iactabundi, nobilitatemque suam insolenter ostentantes, ita vt in summa mendicitate audeant referre genus suum ad stirpem regiam. Scotiæ pars Austratissima est sub Parallelo 19. dies autem maxima horarum 18. Borealissima subest 21. Parallelo, & est dies horarum 19 Terminatur autem ad Ortum quidem Oceano Germanico, ad Syrachum Tueda fluuio, ad Austrum Saluvva fluuio, ad Lebecium & Zephyros mari Hybernico, ad Trasciam & Septentriones Oceano Deucalidonio. Verùm & illud hinc obiter memorandum duximus, quod, de mari Scotico scribunt Boëthius & Iouius, gignere nimirum anseres quos Clakis nominant, è lignis in ipso putrescentibus. Primùm nascuntur (inquiunt) vermiculi tanquam teredones, qui interiora ligni excauantes, paulatim enatis capite, pedibus atque alis, tandem plumas edunt, & cum ad domesticorum anserum iustam ipsis magnitudinem excreuerint, cælum petunt, reliquarum auium more. Nascuntur & in testis veluti concharum, quæ complexu ramorum, & caulis in alga marina concepto, intus huiusmodi auem fouent, ac tandem produnt. Atque hæc de qualitate regni. Si quantitatem requiras, habere videtur Anglia in longum milliaria Germanica 82. Anglica 293. in latum Germanica 89. Anglica 320. Scotia autem in Longitudinem extenditur milliariorum Germanicorum 67. Anglicorum 257. In latitudinem autem Germanicorum 52. Anglicorum 190. ita vt tota insula in longum extendatur milliariibus Germanicis 149. Anglicis 550. at vbi latitudinem habet, Germanicorum 89. aut Anglicorum 320. Latissimam namque esse compertum est.



